

IOANNIS MANELPHI

ERETANI SABINI

In Almæ Vrbis Gymnasio Primarij Medicinæ Practicæ Professoris.

De Parte affecta Pleuritidis.

DECERTATIO.









ROMAE,

Typis, LVDOVICI GRIGNANI. MDCXLII.

Superiorum Permissu.



PRINCIPI EMINENTISS. D.

D. FRANCISCO

CARD. BARBERINO.

IOANNES MANELPHVS. F.



OCRATES ille ſapientiſſimus, vt refert Laertius lib. 2. ſacrificia volebat quam minimis impendijs conſtare, quod Dij vt non egent rebus hominum, ità magis ſpectant affectus immolantium, quam diuitias. hac ergò fretus Socratica doctrina, audeo hanc decertatiunculam, Eminentiæ Tuæ *offerre, in qua de Parte affecta*


pleuritidis diſſeritur, morbi quidem acuti, pernicioſi, ancipitis, præſertim verò in hac Urbe Roma, cuius valetudini perpetuò excubas. fidem faciant huius rei anteacta tempora, nam graſſante lue peſtifera per totam ferè Galliam Ceſalpinam, Etruriam, atquè alias Italiæ regiones, tua quidem ſedulitate Romam eiuſque ditiones ferè cunctas incolumes ſeruaſti. Ego ſanè qui tunc temporis, ex tua benignitate, per quatuor circiter annos interfui Congregationi ſanitatis, miratus fui pluries magnos labores, quos perpeſſus fuiſti in illa auertenda peſte. Mouent præterea ad hoc opuſculum tibi dicandum etiam aliæ rationes, nempè quod duodecim abhinc annis adlectus fuerim inter magnæ Aulæ tuæ domeſticos, tuoque

fruar


fruar pane, quo, & Simeon Bellus meus Sobrinus olim vescebatur: Deindè Tu ipse hanc disceptandi quæstionem dederis causam, propterea quod eligisti me Archigymnasij Romani Lectorem, primum quidem Philosophiæ, mox verò practicè Medicinæ. Atque postremò quod subditus esse dignus fuerim faustissimę Domus Barberinæ: subditus verò spectat ad Dominum. Quarè nulli alteri quam tibi debetur breue hoc opusculum. hilari igitur fronte suscipe, atque tuo patrocinio fouere ne desinas rogo. Vale.

IOANNIS ANDREÆ MANELPHI

AVCTORIS FILII.



QVEM scripsit Pater; hũc defert tibi iure libellũ
Filius: à nutu pendet vterque tuo
Mella quidem ille legit, dum Veri iura tuetur
Debentur, Princeps, nonnisi mella tibi.



IOANNIS MANELPHI ERETANI SABINI,

In Almæ Vrbis Gymnasio Primarij Medicinæ Practicæ Professoris.

De Parte affecta Pleuritidis;

DECERTATIO.



IEBAT Cato Senior stultos prudẽtibus plus afferre vtilitatis, quam

 pru-

prudētes ſtultis. Prudentes enim dum facile vident errata ſtultorum eaque vitant, fiunt cautiores: at ſtultos non item, quia non vident, poſſe imitari, quæ à ſapientibus recte fiunt. Vt igitur cautiores ſe reddant prudentes Medici, circa curationes ægrorum, errata quæ vident ab alijs commiſſa maxime vitare debent, nec non propriam, nouamque ſententiam proſequi: præſertim verò circa partem affectam morbi, nam ignorata quæ læditur parte, tota etiam corruit medicinæ operatio. Quãquam igitur vulgaris ſententia ſit partem affectam pleuritidis eſſe membranam illam, quæ coſtas ſuccingit; nihilominus publicè

blicè expendendo pleuriticum affectum ſuperioribus annis dicebam hanc pulmonis ægritudinem eſſe, non autem membranæ coſtas ſuccingentis; idque magnorum virorum autoritate fretus, vt inferius audietis. contrà quam ſententiam, inſurrexerunt deindè Baldus Baldus Collega meus in quadam epiſtola ad Renatum Morenaum, & Renatus idem in epiſtola altera ad Baldum Baldum; vehementerque miratus ſum Renatum Morenaum virum inſignẽ, tantique nominis, quaſi ægrè ferre, & veluti abhorrere nouas opiniones, mequè nouatorem appellare, *& nihilominus Nouitates non ſunt repudiandæ*, inquit

quit Cicero de amicitia, & de orat. *Res magnitudine præstabiles, & nouitate primæ*. De nat. Deor. *nouitate delectamur*, & copia. *Noua placent omnia* commune est adagium, præsertim verò si prosint, quemadmodum neoterica hæc est sententia nostra, de parte læsa pleuritidis, neotericè inquam à nobis recensita, sed vetus, & antiquissima, vt inferius audietis.

Sed omisso pro nunc Morenao, quantum spectat ad Baldũ Baldum, dubitabatur vtrum pars affecta pleuritidis sit membrana succingens costas, vt vulgaris est opinio, an verò pulmo? & primo loco probabamus membranam recensitam esse partem læ-

sam

ſam pleuritidis , ex eo quia id videtur docere Hipp. 1. de morbis propè finem, vbi expendendo diſtinctionem inter pleuritidem , & peripneumoniam , in hac inquit venæ diſtenduntur , quæ in pulmone ſunt, in illa verò venæ, quæ ſunt in latere .

Secundò Aræteus lib. 1. de ſignis, & cauſis morborum acut. cap. 10. ſub coſtis docet, dorſo , & internis pectoris ad iugula vſquè tenuis membrana robuſta quæ oſſibus inhęrens ſubſtrata fuerit, ignis adeſt cum tuſſi, & ſputis varijs, pleuritis morbus iſte à Græcis appellatur. Et paulò inferius, quibuſdam verò, & interga , & in dorſi ſcapulas dolor protenditur pleuritidem veteres

Græ-

Græci appellarunt, Latini verò morbum lateris, vel costarum. Eiusdem sententiæ ex vetustioribus fuerunt etiã Appollonius, Asclepiades, Erasistratus, Soranus, Cœlius Aurel. & alij: Inter cæteros autem Gal. 5. de loc. affect. cap. 3. affert quoquè rationem huius opinionis, nempè quia dolor in pleuritide est acutissimus, nec non arteriarum cũ pulsatione dura, atquè ad modum serræ: Acutus autem dolor membrana affecta exoritur, vt docet Cœl. Aurel. 2. acut. cap. 16. cum neruosæ naturæ sit membrana, atque lateribus infixa, pulmo autem insensibilis. & 4. de caus. puls. idem Gal. pleuritis inflammatio est membranæ co-

stas

ſtas ſuccingentis, itaquè febricitant acutè, quippè quia vicina eſt cordi.

Amplius Hippoc. 1. acut. contex. 35. diſſectis cadaueribus pleuriticorum liuidum latus inueniri ait. quarè in latere, & coſtarum ſuccingente membrana generatur pleuritis, vt contendebatur. cum etiam curata pleuritide, inflammatio ſoras, & ad cutim delata interdum viſa ſit, vt recenſet Schenchius lib. 2. obſer. med. obſ. 97. Ex Marcello etiam Donato lib. 3. hiſt. mirab. cap. 9.

His argumentis à me allatis ad corroborundam magis magiſquè ſuam opinionem Collega meus, hæc alia addidit, nempè Hipp. 1. de morb. pleuritim fieri

fieri ait in carne, quæ est in latere. Primò acut. 35. tales sidere putarunt, ob hoc quidem maximè, non minus autem, quod & mortuis ipsis latus liuidum reperitur, vt simile quid plagæ appareat. lib. eodem primò de morb. in pleuritide legitur sputa exire, ac fieri à distentione venarum, quæ sunt in latere, in peripneumonia verò earum, quæ sunt in pulmone. In Coac. prænot. Hippoc. idem docet indicia ex quibus percipitur an vna sola affecta sit pars pulmonis, an verò vtraque: proindè pulmones in peripneumonia solum patiuntur; in pleuritide verò latus, siue lateris succingens membrana. Prętereà negari non

po-

poteſt membranam ſuccingentem ob ſui magnitudinem,& ratione ſitus, ac ſtructuræ corripi poſſe inflammationem, eaque tali, vt ob viciniam cum corde, febrem valeat excitare,dolorem, inferre tuſſim, & difficultatem reſpirandi adducere, pulſumque illum durum, & ſerrinum nuncupatum efficere; quod ſanè aliud non eſt quam pleuritidem lateris nimirum affectum conſtituere. Si pleuritis etiam eſſet inflammatio pulmonis non differret à peripneumonia niſi ſecundum magis,& minus, non verò eſſentialiter, vt non differt phrenitis ſi dextra tantum pars cerebri inflammetur ab ea in qua ſecundum vtramque par-

tem

tem accensio fit. Insuper ex Gal. & cunctis ferè anatomicis, pulmones incapaces sunt acerrimi, & vehementis doloris, vt est dolor punctorius, qui pleuritidem comitatur ex Gal. pluribus in locis, & præsertim 2. de locis affectis cap. 2. Docet quoque Hipp. in Coacis prænot. & 7. Aph. 11. docent pariter ferè omnes antiquiores ex pleuritide dari transitum in peripneumoniam: quinimò Gal. 7. Aph. dicto ex peripneumonia fit transitus in pleuritidem: & nulla quidem alia ratione, nisi quia sedes dictarum affectionum diuersæ sunt. Lib. de affect. Hipp. pleuritidem ait, si est breuissima terminari septima die, peripneumoniam vero

rò si est breuissima terminari in diebus quatuordecim. verisimile enim est acutiorem inflammationem citius terminari ipsa inflammatione minus acuta, vt esset pleuritis si in pulmone generaretur. Deindè in pleuritide mittendum esse sanguinem, docet Hipp. vsquè ad animi deliquium, & vsquè ad sanguinis mutationem, quam sanè mutationem vanum esset expectare, si pleuritis in pulmone fieret, cum ex pulmonibus nihil sanguinis possit in venam cauam remeare. Et postremò experientia constat in cadaueribus pleuriticorum membranam solummodo reperiri læsam, non verò pulmonem. Quarè membrana

dicta, nullo autem modo pulmones in pleuritide afficiuntur. & hæc sunt alia argumenta, quibus Collega meus conatus est probare partem affectam pleuritidis membranam illam esse, quæ costas succingit, non autem pulmones.

Quibus tamen omnibus non obstantibus verior sententia cõtraria est, nempè pulmones lædi in pleuritide, non autem primario membranam costas succingentem. Idquè primum elucescit ex Hipp. in lib. de loc. in homine, vbi his ad vnguem verbis loquitur ex Iani Cornarij interpretatione: Cum in pulmone fluxerit ex capite per guttur, & aortas appellatas appendentes

par-

partes pulmonis, pulmo tanquã natura rarus, & ſiccus, trahit in ſe humorem quantum eius capere poteſt, & vbi fluxerit maior fit: & vbi quidem in totum fluxerit extremitas eius maior reddita vtrumque latus contingit, & peripneumoniam pulmonis appellatum morbum facit. cum vero alterum tantum pleuritis. Quid clarius? accidit pleuritis, inquit Hipp. inflammato vno latere pulmonis, generatur verò peripneumonia vtroque latere, ex eodem phlegmone obſeſſo. Hunc verò locum perpendens Collega meus, primò reſpondet hæc cõtrariari ijs quæ alibi Hipp. loquutus fuit, nimirum in progn. & Coacis prænot. in quibus

locis peripneumoniam legitur fieri etiam altera tantum parte pulmonis inflammata. Euoluenti autem mihi librum prognost. Hipp. id affirmare non videtur, sed docere potius signa demonstrantia, an suppuratio sit in vno latere solum, siue in toto pulmone; nam si hęc superueniat peripneumoniæ totus pulmo suppuratus erit si autem pleuritidi vnũ latus solũmodo, propterea quod suppurati fiunt, aut ex pleuritide, siue peripneumonia, docet Hipp. in Coacis prænot. Neque obstat quod ibidem Hipp. dicat peripneumonicis si lingua tota alba ac aspera sit, ambæ pulmonis partes inflammatæ sunt, quibus verò dimidium, vna iuxta quam

ap-

apparet; ſiquidem de maiori vel minori inflammatione hic intelligit Hipp., nempe ſi ſit lingua aſpera in vna tantum parte, in eodem latere pulmo inflammatus eſt magis, aut ex ſententia aliorum Hipp. loquutum fuiſſe dicendum eſt; nam alias in peripneumonia totum pulmonẽ à phlegmone vexari præter Hipp. docuerunt Diocles, Aſclepiades, Proxagoras, atquè Soranus cum Cœlio Aurel. Et Areteus lib. 6. cap. 1. agendo de curat. peripneumoniæ, Protinus inquit in cubito venæ aperiantur, ſiue vtraque in dextra videlicet, ac leua manu, quò ab vtraque pulmonis regione humiditatum reuulſio non tamen vſque ad

B 3 ani-



animi deliquium fiat. ſtrãgulatum enim animi deliquium facit: ab vtraque pulmonis regione inquam reuulſio facienda eſt in peripneumonia, quoniam & vtraque pars in eadem vexantur. Hac verò tradita reſponſione non bene fortaſſe adæquatus intellectus aduerſarij excogitauit aliam, ſed imbecilliorem ſanè, nempe cũ Hieronymo Mercuriali dubitat de genuitate libri, & nihilominus meminiſſe debebat ſe adduxiſſe Cœlium Aurel. lib. 2. de morb. acut. cap. 16. qui hunc librum de loc. in homine tanquam genuinum Hipp. recipit, atque accroamaticum non verò ſpurium, & exotericum, vt idem quoque peregit 5. tardarũ paſ-

passionum cap. 1. Et Ruffus Ephesius in altero lib. 1. cap. 1. de corporis humani partium appellationibus, diuinissimus ait Hippoc. in lib. qui inscribitur de loc. in homine, sic loquitur: Quarè de genuitate huius libri non est dubitandum, cum etiam Anutio Phœsio referente Plin. idem affirmet, atque alij plures. Proindè aliam responsionem indagando Baldus, cum Prospero Martiano ait Hipp. in lib. allato de loc. in homine intellexisse de pleuritide spuria, quæ consistere potest in pulmonibus, non de exquisita, cum eo loci loquatur de illa pleuritide, quæ à destillatione à capite exoritur. & sanè subiungit non de vera pleuritide in-

telligit Hipp. ſed de ſpuria, & non exquiſita, cum in vera non à capite, ſed à toto, & à proximis partibus ad affectos locos procedat, atque non ſola bilis, ſed bilis, & pituita ſimul idem efficere poſſunt. Scire tamen exoptarem à Proſpero Martiano cur pleuritis à deſtillatione non ſit vera pleuritis, hoc etenim erat declarandum, cum etiam Hipp. pluribus locis contrarium doceat. Cur etiam cupio ſcire à Collega meo, pleuritis à toto, & partibus proximioribus ſit magis vera, & exquiſita, quam pleuritis à deſtillatione à capite? hæc quidem gratis aſſeruntur, gratis etiam negantur, & nullius probationis ſunt. Quapropter more iacula-

torum, qui ſi vnica iaculatione non attingunt ſignum, ſaltem ſecunda, vel tertia, vt id aſſequantur iaculationes repetitas, necnon multas gerunt: ſic etiam Collega meus vt ſatisfaciat partim ſaltem ſi non in totum ſuis cogitationibus, haud vnam ſed plures reſponſiones tradit, metam verò nullam attingens. Rurſus imaginatur Hipp. hic haud vniuerſaliter loqui de pleuritide, & peripneumonia, ſed particulariter, & de illa pleuritide exempli gratia ſiue peripneumonia, quæ à defluxione à capite ad pulmones exoritur. Concedit ergo quod in pulmone ex defluxione à capite fieri poſſit pleuritis. Quarè pulmo eſt etiam pars affecta pleu-

pleuritidis, nam alias plures partes affectæ assignari deberent. Secundò potest responderi subiungit, Hipp. in præsenti textu alloqui ad modum, & consuetudinem vulgi, aduocantis eo tempore fortaßè pleuritidem quandocumque dolor pungitiuus cũ febre lateralem regionem vexat, non autem quia ex rei natura ita se res habeat. Attamen incertum est hoc quod respondetur, & sub dictione fortassis asseritur: fortassis ego etiam respondeo æquiuoca hæc loquutio non erat antiquo tempore, cum nullus ex Medicis vetustioribus id referat. Amabò vos audiuistis quot enunciauit Collega meus; quotque responsiones expiscari cona-

natus fuit ad hoc vt orbatam veritate redderet Hipp.doctrinam? Verum vt asserebat Cicero in orat. pro Cœl. ò magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, facilè se per se ipsa defendat.

Post Hipp. verò Cœl. Aurel. referente lib. 1. acut. cap. 16. Herophilus quoquè existimauit locum affectum pleuritidis esse pulmonem, idque tribus præsertim rationibus si rectè memini: nempe primò quia in lateribus pleuriticorum nulla conspicitur extuberantia, neque dolor, aut rubor, vt in alijs tumoribus accidere solet, nullus inquit dolor adest externus vult dicere Herophilus, nam & pluries ipse etiam

hoc ipſum indagando, tangendo latus pleuritici dolorem à tactu nullum percipiebat. Secundò addit Herophilus, pleuriticos ſupra latus affectum facilè decumbere, difficulter verò, & cum læſa reſpiratione ſupra ſanum; nimirum quia in decubitu ſupra latus quod patitur, pulmo quaſi in puluinari ſubſtentatus iacet, pendet verò & in ſeipſum comprimitur in decubitu altero. Vel etiam poſſumus dicere reſpirationem non lædi decumbente pleuritico ſuper latus affectum, quia pars pulmonis contraria libera eſt: iacente verò in latere oppoſito è contra non eſſe adeo liberam, verum potius à parte læſa, atque ad reſpirationem

nem inepta comprimi, & interpellari. Postremò tussis est signum consequens ad morbum pulmonis non autem lateris, cũ eidem nec venis, nec arterijs, neque fibris sit continuus.

His autem Herophili rationibus respondet etiam Collega meus, & quatenus ad primam ideò tumorem, ruborem, neque dolorem in affecto latere pleuriticorũ non apparere quoniam in alto, hoc est in interna lateris parte, & membrana hypezocota græcè appellata insistit phlegmo, præterquamquod falsum est etiam aliquando non reperiri extrinsecus tumoris vestigia, vt idem in fine capitis ait Cœl. Aurel. nec non Hipp. in 2. acut.

acut. docet exemplo ſideratorũ. Verum quid deperit ego nunc dicerem, ſi inflammatio, vt dicitur, pleuriticis in internis lateris partibus reperitur? an quia natura etiam ex internis partibus foras vſque ad cutim detrudere non ſit ſolita? id quidem paſſim, & in dies conſpicitur: quinimò ſuppoſita non tamen conceſſa hac concluſione, quod in pleuritide adſit inflammatio in membrana hypezocota, dicerem ipſi eſſe iudicationem faciliorẽ, profligando materiam morbificam ad latus deforis, & cutim, quam eandem materiam tranſmittere aperta primum membrana laterali dicta, atque materia putrida deſcendendo in caui-

uita-

uitatem thoracis, poſteà verò intrà pulmones detruſa, & tandem per tuſſim atque ſputum eiecta: Audite quæſo vias has naturæ quidẽ difficiliores ad excernendam materiã aſſertæ pleuritidis cauſam, quam ſi ab interna lateris parte ad externam potrudat; Natura docta, nec non morborum medicatrix, vt docet Gal. 7. Aph. 54. parat ſibi vias maximè conferentes, & faciliores, vt ſanè eſſet in pleuritide ab internis lateris partibus ad externas, ſi in membrana coſtas ſuccingente, vt inquit Aduerſarius generaretur. Neque obſtat, quod interdũ etiam per hanc partem iudicata referatur, nec non ex Hipp. id dictum videatur, nam illa veluti ſi-

de-

deratio in pleuriticis eſt per accidens, atque ſecundario; nec non etiã poſſumus dicere ſi fortè fortuna ad cutim vſque interdum delata fuit inflammatio, id non accidiſſe in vera pleuritide, ſed in ſpuria atque in plegmone lateris veræ pleuritidi conſimili. Ad ſecundam quoque Herophili rationẽ reſpondens Baldus ait difficile iacere pleuriticos ſupra latus non affectum quia expreſſa inde materia ſe patientibus mẽbris impartiens illaque diſtendens dolorem facit, ſupra ægro autem latere non ita ægrum affligi, quia in tali decubitu materia morbifica ſtraminum obiectu, quaſi preſſa refugiat, atque ex partibus affectis ad ſanas rediens

diens dolorem non facit. Perbellè quidem hic loquitur, sed tamen nihil probatur: nam vt dicebat ad vltimum ex compressione apostematis pleuritici refugere materiam ex partibus affectis ad sanas ideoquè dolorem nõ sentire, hoc in alijs apostematibus non experitur. sicuti etiam non capio ex decubitu contrario quænam expressio eidem apostemati accidat, expressio namque fieri solet propter adærentiam aliarum partium, in casu autem nostro decumbendo æger super latus contrarium à partibus propinquis, potius alienatur apostema, quàm ijsdem adhęreat siue propinquũ euadat. Tertiò, & vltimo cum

Cœl. Aurel., tussim idcircò fieri in pleuritide ait, quia compatiuntur succingenti membranæ vicinæ, atquè contiguæ partes, & per pulmonem prætereà tussita sputa deferri, non quod in ipso generentur, sed quia in ipsum veniunt ex vicinis partibus. Verum dicuntur hæc non tamen probantur, nam sputa, tussiunt pulmones, siue potius tussire valent propria ipsorum substantia affecta, absquè eo tamen quod etiam partes viciniores vexatæ sint; Et insuper affirmando pulmones sputa tussire in pleuritide, non tamen in ipso pulmone generari, neque etiam demonstratur, atque falsissimũ est; video nempe ex pulmonibus

bus eadem ſputa immediatè proficiſci, ſenſu ipſo percipio, & proindè haud à ſenſu diſcedendo in ijſdem quoquè pulmonibus, & ſputa generari, nec non etiam pleuritidem fieri aſſerendum eſt, Medicus enim docente Gal. eſt artifex ſenſatus, atque vbi ſenſus viget, ceſſet ratio, ne in illud Ariſtotelis decantatum Axioma indicamus, relinquere ſenſum, propter rationem imbecillitas intellectus eſt. Præter Hipp. & Herophilum huic ſententiæ aſtipulati fuere ex Neotericis Felix Platerius, Ioannes Zecchius, Marſilius Cagnatus Doctor meus, Aetius Cletus, nec non etiam Alexander Petronius, qui adeò huic ſententiæ addictus erat, vt in Ar-

chigymnaſio Romano publicã quoque orationem olim habuerit ſuper hanc rem, licet eiuſdem Archigymnaſij medicinę Lector non eſſet.

Omiſſis autem variorum Doctorum teſtimonijs, etiam rationes fidem faciunt pleuritidem non in membrana ſuccingente coſtas generari, ſed in pulmone, vt contendebatur; nempè quia veluti docet etiam Senertus in capite proprio, circumcircà pulmones eſt quędam mẽbrana eoſdem ſuccingens, tenuis quidem, ſed denſa, itaut eamdem nequè ipſe aër peruadere valeat: eſt enim pulmo tanquam follis, illum met aërem, quem inſpirat, reſpirat deinde, neque

alium locum petit præter pulmonis cauitatem, & cordis ventriculos. Et quod recensitam pulmonum externam membranam, neque etiam aër permeare valeat, experientia elucescit; immisso etenim canulo intrà tracheam animalis, atque aërem efflando, pulmones maximè tumesiunt, id autem quia aër intra pulmones continetur, neque membranam ipsorum circumcingentem peruadere valet. Proinde cum neque aër membranam recensitam serpere possit, qua ratione materia in membrana succingēte costas existens, intrà eosdem pulmones ingredi potens erit? Respondet Collega meus subtilissimè, atque fusis-

ſimè quidem, primum diuerſam eſſe nationem mortui animalis, atque viui, nam eſtò quod in mortuo per pulmones ad thoracis cauitatem aër permeare non valeat, in viuo tamen id verum non eſt. Sed in mortuo, nec non etiam viuo id pluries ego periclitatus fui, atque ſemper pulmones inflatos inueni; nimirum quia aër, qui inſpiratur intrà pulmones retinetur, neque alibi fluere valet. Prçtereà hanc aſſerit dubitationem animaduertiſſe Galenum com. 3. in lib. de articulis, vbi ſic loquitur Hipp. At ſi circà coſtas caro, aut ictu, aut caſu, aut renitentia, aut aliqua alia de cauſa huiuſmodi contuſa fuerit, multi

iam

iam ſanguinem multũ expuunt, ductus enim qui per obtentam vnicuique coſtæ inanitatem ſeruntur, & nerui, ex præcipuis corporis partibus ortum ducunt. Gal. in com. hæc oratio inquit memoria tenenda eſt vobis ob eos, qui in lateralibus morbis aliquam neceſſario ex pulmonis fibris pati opinantur: pulmonem enim cum inflammatam coſtam attingat, aliquid ex inflammationis ſanie cõtrahere inquiunt: at Hipp. nihil pulmone patiente, ſed ſola affectione in coſtis exiſtente ſpuere non nullos ſanguinem aſſerit. Quibus ſimilia ſcribit etiam Gal. 1. de loc. affect. atque videmus ibidem ſubiungens; etiã conglutinatis cruen-

tis vulneribus, in ſputo notas quaſdam fluentis ex vulnere cruoris ad ſpacium, quod inter pulmonem eſt, & thoracem. Præterea ſuppurati in hoc ipſo ſpacio pus continere, & ipſum expuere, haud obſcurè videntur, atque ratione conſentaneũ eſt, vt eodem modo, tum cruor, tum pus ex thorace expuatur: Et 7. Aph. tex. com. 54. In quo nos ſcire oportet arbitrari Hipp. naturam ſemper ſi ſit robuſta materiæ viam moliri, & inuenire etiam ſi quam maximè craſſa ſit, & per exiles tranſitura meatus, quandò per oſſa etiam abſceſſus fieri dicat. Verum enim verò ipſe numquam inficiatus ſum hæc Galenum agnouiſſe,

ſcio quidem, & cuncta recenſi-
ta ipſum docuiſſe non ignoro,
atquè ſi non in totum, partim
ſaltem ſuperius retuli. nihilomi-
nus in gratiam Hipp. nec non
pro veritate patrocinanda,liceat
in præſenti à Gal. recedere. Et
proindè eſtò,quod natura paret
ſibi vias,nec non per oſſa etiam,
& anguſtiores partes abſceſſus
moliatur; nihilominus alia eſt
ratio oſſium, quorũ partes con-
tinuæ ſunt,alia verò pulmonum,
& membranæ ſuccingentis co-
ſtas, quæ diſiunctæ ſunt, neque
vllam inter ſe continuitatem ha-
bentes. Sicuti etiam liceat infi-
ciari quod materia intra thora-
cem contenta per pulmones ex-
purgari valeat: ſuppurati quidẽ

ex-

expuunt materiam interdum purulentam, at illam, quæ intra pulmones reperitur non extrà, vt alibi cum de ſuppuratione melius fortaſſe diſcutiemus. Ego quidē olim incertus, atque de hac re valdè dubius, interfui pluries curationibus in thorace vulneratorum, & materiam in thoracis eiuſdem cauitate ſtabulantem, nunquam obſeruaui per tuſſim, vel ſputo excretàm; præſertim verò vulneratus in thorace hic Romæ vir quidam appellatus Andreas Necchus, cuius curationem exercebat Michael Herculinus Chirurgus Xenodochij ſancti Spiritus, ſæpius à me rogatus vt tuſſim moliretur, nūquam tamen thoracis materiam

ex-

excernebat: quemadmodũ iniecta pluries mulſa intra vulnus, percuntando ipſum de ſapore, vtique nullum in ore percepiſſe ſaporem eiuſdem mulſæ faſſus fuit. hæc ſunt experimenta, quæ hic in Vrbe ſæpiſſimè haberi poſſunt.

Quod verò circà hanc difficultatem mihi negocium maximè faceſſitat, eſt Hipp. ſententia ſuperius recenſita, contuſa carne circa coſtas ex plaga, aut caſu, aut ranixu, aut alia rè, multi copioſum ſanguinem expuunt; cuius ſententiæ rationem reddens, quoniam ſubiungit ductus feruntur, & nerui per inanitatem coſtarum ex præcipuis corporis partibus. ſed aduerte amice

ce mi à principialioribus partibus inquit Hipp. non pulmonibus, ex quibus ad coſtarum cauitates nulli feruntur ductus, nẽpè venæ, & arteriæ, quas ſanè vias neque vllus ex anatomicis recenſet.

Sed de Hippoc. ſententia pro nunc quidquid ſit, audiatis aliá rationem à ſenſu pariter deductam; in lib. de vulneribus docet Hipp. aërem, qui ex vulnere thoracis fluit, non eſſe illum aërem, qui intrà pulmones inſpiratus fuit, at illum, qui per idem vulnus intrà thoracis cauitatem ingreſſus fuerat, quam ſententiam refert etiam Collega meus; ne ſcilicet detur vacuum in cauitate thoracis, cum ex alió lo-

loco hùc aër fluere non valeat per os vulneris ingreditur, vt audiuiſtis, quod ſanè neceſſarium non eſſet, ſi ex pulmone in thoracis cauitatem ingrederetur aër, vt falsò Riolanus ait lib. 3. Anthropogr. cap. 11. Præterea ſi vulnus thoracis adapertum relinquatur, tanta copia flatuum per idem ingreditur, vt ſuffocentur ægri interdum, ſicuti Nicolaus Larche Chirurgus famoſiſſimus hic Romæ mihi retulit, nempè quia per pulmones tranſmitti non poteſt; nam alias ſi ille aër intrà pulmones ingredi valeret, ſanè per eoſdem tranſmitteretur etiam, nequè ægros ſuffocari natura dimitteret.

Ad argumenta nunc in contra-

trariũ allata transeamus, Hipp. 1. de morbis pleuritim fieri ait in carne, quæ est in latere. ergo pleuritis fit in latere negatur, primariò siquidem in pulmone generatur, non in thorace. Inferius verò, in pleuritide sputa emanare ac fieri inquit à distentione venarum quæ sunt in latere, in peripneumonia verò earum quæ sunt in pulmone. Profectò haud inficiar Hippocratem in hoc primo de morbis affirmare quod pleuritis fiat in latere, atque peripneumonia in pulmone, quemadmodum vulgaris est opinio; at circà libros de morbis audiamus Gal. com. in lib. 2. de rat. victus in morbis acutis 38. Digna Hipp. mente non

sunt,

ſunt, quæ de morbis, & affectionibus ſcripta ſubdit, quamquam multa bona in eis ſcripta ſint, & lib. 3. de articulis 18. de primo libro præſertim verba faciens, Liber primus de morbis inquit non rectè inſcribitur, cuius initium eſt, qui vtiquè interrogare de curatione rectè velit, rogatuſque reſpondere. Quarè non me puduit, neque pudet dicere Hipp. alia ſcripſiſſe cum eſſet iuuenis, alia verò alijs temporibus; loquutus fuit verba hæc etiam Diuus Hieronymus, *cum eſſem iuuenis* inquiens *loquebar vt iuuenis*: Inſuper alia ſcribebat Hipp. ad memoriam, alia ad ingenij exercitationem, alia verò ad docendum. ſi rectè perpendamus

quæ

quæ in hoc primò libro leguntur, ſanè nullam, aut paucam habent inter ſeſe connexionem, prorſus ordine carent, atquè veluti ad memoriam conſcripta videntur, non autem ad docendum, vt ille liber eſt, qui de locis in homine dicitur. In primò acut. pleuriticos docet idē Hipp. interdum fuiſſe inuentos cum latere liuido, vt ſimile quid plagæ appareat. Quarè pleuritis fit in latere, primariò negatur ſicuti ſuperius dicebamus, namque primariò in pulmone generatur non in latere. Neque præterea negauerim membranam coſtas ſuccingentem corripi poſſe aliqua inflammatione, at illam ex Hipp. haud vocari pleu-

pleuritidem. ſi autem à me quæ-rat aliquis quo nomine appellanda ſit, non proprio nomine inſignitam fuiſſe reſponderem, & propterea communi vocabulo inflammationis nuncupandá eſſe, nempè inflammatio lateris, hoc eſt nomen huiuſcemodi affectus. Quod verò pulmones incapaces ſint acerrimi, atque vehementis doloris, vt amplius arguebatur, Hipp. contrarium docuiſſe reſpondemus; nam 2. progn. 43. In pulmonis legitur coſtarumque doloribus, ſputum celeriter, & facilè eijci oportet. primò de morbis, cum eriſipelas in pulmonem corripit, dolor fit acutiſſimus. Primò, & ſecundò de morbis in tuberculo pul-

D mo-

monis, in pulmone ad latus prolapso, in pulmone inflammato, & in pulmone præ calore tumente dolores accidunt acutissimi, vt idem quoquè legitur in 3. de morbis, in Coacis, & alijs quamplurimis locis quæ breuitatis causa omittuntur. Suadet quoquè idem ratio, nam vt dicebatur superius, membrana pulmones circumcingens densa est, atque dura; igitur acutissimi etiam sensus, atque si distendatur sensus, & doloris non est expers, vt docet Petrus Forestus lib. 16. obs. med. obs. 43. in schol. nonnè adsunt in pulmone venæ, & arteriæ plurimæ, partes quidem membranosæ, nec non exactissimi sensus? Marsilius Cagna-

gnatus Doctor meus præstantissimus dum Romæ hanc profitebatur sententiam, retulit historiam curationis cuiusdã Ianuarij nomine appellati, qui assiduis, atquè acutissimis doloribus vexabatur in regione pectoris, & cum ijsdem perijt; dissecto postea cadauere, in parte dextra pulmonis repertus fuit ingens atque magnus abscessus suppuratus, nec non pure refertus. Ego pariter habui præteritis diebus sub mea curatione Reuerendum Patrem Vanicolam Iesuitam in Collegio Romano, vbi ego iam per multos annos medicinam facio, cui rupta vena pulmonis cum sanguinis reiectione copiosa, in parte dextra thoracis do-

lores quoquè acutiſſimos ſentiebat, ſimiles caſus obſeruaui millies vt ita dicam. Sed quid opus eſt alijs? dum aër frigidus ſiuè calidus inſpiratur, ſentitur quidem exactiſſimè ab inſpirante pulmone: iucundum, & triſte ſentit quidem pulmo, nemini dubium eſt. Ergò etiam & dolorem, nam dolor triſtitia quædam eſt, ſicuti & voluptas iucũdum. vbi autem hæc ſunt etiã ſenſus adeſt cum Ariſt. 2. de anima contex. 20. vbi autem adeſt ſenſus adeſt etiam & dolor, proptereà quod dolor ex Ariſtot. 6. Topicorum triſtitia quędam eſt, quæ ſentiendo percipitur. Quarè ſentit, & dolet pulmo quidquid in contrarium aſſeratur:

do-

dolet inquam acutè, & vehementer, ſicuti, & acutè etiam ſentit vt probabatur. Præterea aſſerebatur Hipp. in Coacis 1. & 2. de morbis 7. Aph. 7. quibus in locis ex pleuritide legitur fit tráſitus in peripneumoniam, idquè nulla alia ratione, niſi quoniam diuerſæ ſunt partes affectæ dictarum affectionum, dicit Collega meus: Diuerſæ quidem ſunt vtiquè ego affirmo, quia ſcilicet in pleuritide afficitur latus pulmonis, in peripneumonia verò totus pulmo, vt Hipp. docet in lib. de loc. in homine: an ex latere pulmonis ad aliud latus inflammatio extendi non valeat? nequaquam certè. Hipp. amplius docet mittendum eſſe ſanguinẽ

ad animi vſquè deliquium, nec non eiuſdem ſanguinis mutationem, quam ſanè mutationem vanum eſſet expectare, inquit Baldus, ſi pleuritis in pulmone fieret, cum ex pulmonibus nihil ſanguinis poſſit in venam cauã remeare. Verum ſi Hipp. verba benè perpendantur, nequaquam ſanguis ad coloris mutationem ducendus eſt; ad mutationem coloris inquam, nam, & de hac verba textus intelligenda ſunt, non autem de quacunque mutatione: ϗ μὴ ἐλινύειν συχνὸν ἀφαιρεῖν τὸ αἷμα ἕως ἂν ἐρυθρότερον πολλῷ ῥυῇ. ἢ αὖ τὸ καθαροῦ καὶ ἐρυθροῦ πέλιον. ἀμφότερα γὰρ γίνεται. hæc ſunt propria Hipp. verba 2. acut. tex. 10. quæ ita, & non aliter legenda ſunt, & non ex-

expectes copiosũ auferendo sanguinem, donec multo rubicundior fluat, aut pro sincero, & rubicundo liuidus, ambo enim hæc fiunt: Aut quatenus dictio ὄκνειν dubites legenda sit, quemadmodum plurimi Medicorum aiunt μὴ alterá dictionem ascititiam esse dicere valemus, atquè Hipp. verbis fortassè superadditam. Quarè καὶ ὀκνεῖν legendum est, nempè & dubites sanguinẽ auferendo expectare donec multò rubicundior fluat, aut pro sincero, & rubro liuidus. Non igitur mutatio coloris sanguinis expectanda est in phlebotomia, & per consequens nulla prorsus ratio est, quæ in contrarium adducebatur: cum etiam ex Aræteo

iners ſit huiuſcemodi mutatio; iners inquam, propterea quod non ſemper ſequitur copioſam ſanguinis miſſionem,& ſæpè ſępius in principio ipſius euacuationis accidit, ex eodem Aræteo, & Cœlio Aureliano. quinimò ſanguis, cum euacuatur, ſemper deterioris eſt coloris in principio, quam poſteà. Relinquo plura dicenda circà hanc mutationem cum Deo fauente ſcholas trietericas, ſiue triennio lectiones medicinæ practicæ in lucem edám. Ad ſuæ verò opinionis corroboratione̅ affert ſubindè Baldus experimentũ,nempè in pleuriticis diſſectis inuenta eſt membrana ſuccingens ſolummodò læſa,nullo autem mo-

do

do pulmo: Ego autem è contrà dico in plurimis alijs inuenti sũt pulmones læsi, non autem mẽbrana succingens costas, aut saltem magis, sicuti Schenchius refert ex Felice Platerio 2. obs. med. 44. Pleuriticorum duorum inquiens Platerius sectioni adhibitorum cum examinarem costas, succingentem membranam maculam tantum liuidam in ea deprehendi, illiquè affixos pulmones, qui ægrè ab ea non nisi lacerando auellebantur, eosque potius, quam succingentem membranam affectos. Attende Lector, nam hic qui loquitur est Platerius vir celebris, ingenuus, & sinè vlla animi passione circà hanc quam expendimus quæstionem.

Ne-

Neque præterea obſtat quod Hipp. in lib. de affect. dicat pleuritidem ſi eſt breuiſſima terminari ſeptima die, peripneumoniam verò ſi eſt breuiſſima terminari in diebus quatuordecim: atque ità vt ingenioſè ait Baldus, veriſimilius ſit acutiorem inflammationem terminari citius ipſa inflammatione minus acuta, vt eſſet pleuritis, ſi in pulmone generaretur: ſiquidem hęc verba protulit Hipp. de pleuritide, non peripneumonia, de qua ſubſequenter agit. Secundò iudicatur inquit Hipp. pleuritis ſi eſt breuiſſima ſeptima die; longiſſima verò decimaquarta die: iudicari autẽ differt à terminari, vt paulò infrà docet Hipp.

Iu-

Iudicari aſſerens in morbis eſt, cum morbi augeſcunt, aut marceſcunt, aut in alium morbum tranſeunt, aut deſinunt. Et quatenus terminari etiã diceret Hipp. dictio terminari tam intelligitur in bonam partem, quam in malam, (licet antonomaſticè in bonam partem accipiatur vt plurimum) in bonam partem verò nunc aſſumẽdo verba Hipp. vtiquè peripneumonia diutius iudicatur, quam pleuritis, propterea quod fortior necnon maior affectio difficilius profligatur, quam affectio leuior, & mitior, vt ſanè peripneumonia eſt reſpectu pleuritidis. Inſuper pleuritis citius etiam iudicatur, quã peripneumonia, ex eo quià pulmo-

mones minus læduntur à pleuritide, quam peripneumonia, atquè peripneumonia totum pulmonem vexat, pleuritis verò vnā solummodò partem; difficilius verò propellitur materia, vniuersam corporis partem lædens, quā partem partis. Exempli gratia, in pluuiarū multitudine febres longæ fiunt, inquit Hipp. 3. Aph. & Gal. reddens rationem huius sententiæ, quoniam scilicet multa humiditas nisi longo tempore consumi non potest. Ità etiam possumus affirmare in casu nostro, diutius iudicatur peripneumonia, quam pleuritis, quia scilicet peripneumonia generatur à maiori quantitate humorum quam pleuritis. Maior verò

rò

rò quantitas humorum nisi longo tempore debellari non potest. Et postremò cum dicitur non posse fieri pleuritidem in pulmone, quià non differret à peripneumonia, sicut non differt inflammatio vnius partis cerebri ab inflammatione totius, nã vtroquè modo phrenitis appellatur. Primò quidem respondetur, diuersam esse valdè rationem cerebri à pulmonibus, siquidẽ partes pulmonis magis disiunctæ sunt, quam partes cerebri. Et deindè nomina sunt ad placitum, atquè diuerso nomine, non autem sub eodem comprehendere has affectiones antiquioribus placuit.

Quamquam verò hæc satis, atquè

què ad ſatietatem dicta aduerſario eſſe deberēt, nihilominus pro corroboratione huius Hipp. nec non veriſſimæ ſententiæ accedamus nunc ad alia arguméta quæ in contrariū afferebantur: nempè probabatur in principio membranam coſtas ſuccingentem eſſe locum affectum ex eo quià in pleuritide adeſt pulſus durus, nā ſi pulmo afficeretur eſſet mollis. Id primò negatur quod ſupponitur, ſiquidem in pulmone adſunt membranæ, venæ, & arteriç, quinimò ex Aræteo cartilaginoſæ, & per conſequens duriores, quam in nonnullis alijs partibus; atquè ita ſecundum communē ſententiam ex hoc capite, etiam pulmone inflammato pulſus durus

rus

rus effici poteſt. Sed nugæ ſunt hę crede mihi Lector, multa quidem legũtur apud Doctores, quæ tamen veritati, neque therapeuticæ correſpondent: ego non negauerim inueniſſe pleuriticos interdum cum pulſu duro, ſed rarò rariſſimè, atquè plus mille curaui pleuriticos ſine pulſu hoc duro: nunc ad præſens in Cœnobio sãcti Andreæ ad Montem Quirinalem habeo nouitium Ieſuitam laborantem pleuritide, genuina, exactiſſima, exquiſita, cui tamen è contrà pulſus eſt mollis nõ durus, fidem faciant iuuenes mei ornatiſſimi, qui praxim adipiſcendi gratia mecũ accedunt. Pulſus durus reperitur in illis, qui emaciati ſunt, & quaſi tabidis pleuriticis,

ticis, in ſucciplenis verò, & non exiccatis, mollis adeſt non durus, præſertim verò hic Romæ vbi corpora ſcatēt humiditate. Adeſt pulſus durus in quiuntex eo quià membrana in pleuritide afficitur. An quià cum membrana inflammata aſſignari non valeat etiam mollis arteriarũ pulſatio? ſanè id inficiari non poteſt, cum parum aut nullo modo conſentiant inter ſe membranæ, & arteriæ: ſiquidem hæ à corde illæ verò à capite originem trahunt, atquè membrana ſuccingens coſtas dextri lateris nullũ aut paucũ conſenſum habet cum arterijs ſiniſtri; dextra enim cum dextris, ſiniſtra cum ſiniſtris conſenſum habent, vt Veſſalius docet lib. 4. cap. 14.

cap.14. suæ anat. Credimus autẽ venarum pulsui tanquam fallacissimæ rei, insuper Cornelius Celsus asserebat,& si vnquã fallaciam inferunt Medicis arteriæ, maximè in pleuritide, quæ in pulmone generatur Cordi propinquo. Sed omittamus hunc pulsum durum, nam ego nunquam mihi persuadeã, quod inflammatio membranæ in pede exempli gratia existentis, sit causa pulsus duri, pulchrum est hoc imaginari non scire, cum nequè rationi, nequè etiam sensui congruat. De eodem pulsu dicebatur quod serrinus in pleuritide adsit, qui etiam ad inflammationem mẽbranæ subsequatur. Ego hæc sciebam cum essem in Tirocinio

E me-

medicinæ, nescio igitur quà ratione fretus Baldus dixerit me ignorasse hanc differentiam inter pulsum durum, atquè serrinium. sed de hac differẽtia quidquid sit, paucũ scire est hoc, pulsum serrinum dicebat Gal. sequi inflammationem pariter arteriarum cordis. atquè ità etiam pulmone affecto cordi propinquissimo pulsus serrinus adesse potest, nequè ex hac arteriarũ pulsatione colligitur quod mẽbrana non pulmo sit pars affecta pleuritidis. Prӕtereà in contrarium afferebatur Marcellus Donatus lib. 3. hist. mirab. cap. 9. vt refert Schenchius 2. obs. med. 97. qui asserit pleuritidẽ externis remedijs curatam fuisse interdum, &

foras

ſoras ad cutim cũ medicamentis delatam. verum id accidiſſe ex phlegmone thoracis reſponderẽ, non autem vera pleuritide. Similem caſum præter Marcellũ Donatum refert Schenchius 2. dicto obſ. med. 95. & Gal. quoquè id docentem ait 5. de loc. aff. cap. 3. nec non idem obſeruaſſe refert Amatus Luſitanus Zoilum Glorioſum in muliere quadam, ſicuti, & Rondoletius etiam idem teſtatur. Verum vt dicebam, non veram pleuritidem ità curatam fuiſſe aſſero, ſed ſpuriam, atquè thoracis inflammationem. Vlterius afferebatur Gal. 5. de loc. affect. cap. 3. qui ait vulneratis in thorace, & conglutinatis vulneribus nonnunquã quaſdam notas

fluen-

fluentis ex vulnere cruoris in ſputis conſpici: Ergò quia pulmones in ſe trahunt à membrana ſuccingente coſtas, negatur; ſed conſpici cruorem reſponderi poteſt, quoniam, & pulmones etiam in hoc caſu vulnerati ſunt fortaſsè. Et poſtremò ſuppurati per ſputũ expurgantur ſæpeſçpius. At ſuppurati intrà pulmones reſpõdemus, non autem extrà vt ſuperius dicebamus: nã ſi aliqua materia intrà thoracis capacitatem reperiatur, ſciat Collega meus doctiſſimus per pulmones, & ſputum nequaquam excerni valere, ſed ſola tantum intrà primam, & ſecundam coſtam ſectione. Et hæc currenti calamo ſatis ſint dicta.

ERRATA.

pag. 23. Plinius	Pergamenus
pag. 33. ſentire	ſentiri